



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XLVIII. Incipit tractari de remedijs, quibus vti debemus, ne peccatum mortale incurramus, vtque inde exeamus: Et declaratur primum, quod est consideratio magni, quod Deus habet, desiderij ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

quoniam ultor iniquitatum gladius est; & scitote, esse iudicium. Quasi dicat: Fugite per pœnitentiam, vitæque emendationem, sententiam diuinæ iustitiæ, quæ iustè vleiscetur, iustisq̃ue pœnis peccata puniet: & cogitate, iudicium esse, in quo totius vitæ nostræ rationem Deo reddituri, & malorum operum æternam pœnam, & bonorum præmium, quod erit æterna beatitudo, percepturi sumus.

*Incipit tractari de remedijs, quibus vitæ debemus, ne peccatum mortale incurramus, utq̃ inde exeamus. Et declaratur primum, quod est consideratio magni, quod*

*Deus habet, desiderij salutis animarum nostrarum, nostraq̃ ad ipsum, si peccauimus, conuersionis.*

### C A P. XLVIII.

**C**Vm iam peccati mortalis gravitatem, ac damna, quæ ad illud odio habendum, fugiendumque vehementer

ter mouent, explicauerimus, dicemus nunc quædam remedia, quibus ij, qui in illud inciderunt, inde exeant, & qui in id non sunt lapsi, à lapsu se præseruent. Primum sit, considerare, quanta sit Dei æstimatio, & desiderium, quod habet, salutis animæ nostræ vtq; eam, si perdidimus, conuertendo nos ad ipsum per veram pœnitentiam, recuperemus. Hoc desiderium declarat multis modis: Vnus est, vocando, inuitandoque nos inspirationibus, monitionibus, minis, pœnis, promissis, beneficijsque, nec non per Angelos, per Prophetas, per Apostolos, & per seipsum, in quantum Deus est, & in quantum Homo. Per Zachariam dicit: *a Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*; hoc est, per fauorem, quem à me habetis, relinquitte peccatum cum dolore, pœnitentiâque illius, & cum firmo mihi seruiendi proposito; & ego dabo vobis meam gratiam, vosque ad amicitiam meâ admittam. Nec vnâ

A a 2 tan-

a Zach. 1. 3.

tantum peccatorum partem vocat, & alteram relinquit, sed omnes, quantumuis magnos, sine vllâ exceptione vocat, quemadmodum per Ieremiam significat, dicens: *a Fornicata es cum amatoribus multis*, hoc est, amore viliû creaturarum per multa peccata à me recessisti, multosque falsos Deos adorasti; *tamen reuere ad me. & ego suscipiam te.* Et per Ezechielem generatim ait: *b Conuertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quare moriemini. Ô homines, morte culpæ, & æternæ damnationis, quia reuera nolo mortem impij, sed vt conuertatur, & viuat?* Estque res summæ admirationis, ac consolationis, quod Deus non solum vocet peccatores, præcipiens eis autoritate domini, vt se ad ipsum conuertant, sed tanquam amicus, qui valdè illorum indigeat, suauiter eos roget, vt conuertantur ad se, sibi que reconcilientur. Ita S. Paulus

*a Jer. 3. 1. b Ezech. 18. 30. & 33. 11.*

lus affirmat, dicens: *a Pro Christo. cuius personam representamus, legatione Dei fungimur, tanquam Deo ipso loquente, & exhortante per nos. obsecramus vos propter Christum, & in nomine eius, ut reconciliemini Deo: ut relictis per pœnitentiam erroribus, & vitijs, redeatis in amicitiam, & gratiam eiusdem Dei, qui desiderat vobis ignoscere, amicos habere vos, & saluare. Non est Deus vllius fictionis, aut superflue exaggerationis capax, cum sit actus purissimus, & ipsa veritas, nec vllius egeat; & sic quod peccatores vocat, & invitat, eosque rogat, ut se ad ipsum conuertant, totque ad hoc remedia adhibeat, tanquam si illorum indigeret, clarissimum argumentum est intensissimæ voluntatis, & ardentissimæ desiderij, quod habet, ut ad ipsam conuertamur, nosque recipiendi in suam gratiam, & spiritualem, æternamque animarum nostrarum salutem nobis impertiendi. S. Chrysostronus*

A a 3

expli-

a 2. Cor. 5. 20.

explicat hanc pijsſimam Dei volunta-  
 tem hiſce, quæ ad peccatorem dicit,  
 verbis: *a Cessa Deum offendere, & la-  
 crimas funde, & ita accede, & ſtatim in-  
 uenies propitium*, ac promptum ad tibi  
 ignoſcendum. *Non ad eò cupis dimitti  
 peccata tua, ſicut ille cupit peccata tua tibi  
 dimittere. Quòd enim non concupiſcis, tu  
 cogita, quia neque vigilias ſuſcipis, neque  
 pecunias effundis, nec alios valdè gra-  
 ues labores, & ærumnas ad conſequen-  
 dam veniam exantlas: Ipſe autem æter-  
 nus Pater, vt peccata à nobis tolleret,  
 noſque inde liberaret, unigenito Filio  
 ſuo non pepercit, eumque propter nos  
 in mortis poteſtatem tradidit. Vides,  
 quòd ipſe magis concupiſcit dimittere pec-  
 cata tua, quàm tu dimitti? Ne igitur  
 ſegnes ſimus, ne moras in ſuſcipiendâ  
 pœnitentiâ neclamus; ſed ſtatim nos ad  
 eum conuertamus; nam naturâ bonus  
 eſt, ſuauiſ, & infinite miſericors; & ipſe  
 nos in grâtiâ, amicitiamque recipiet.  
 Hæc ferè S. Chryſoſtomus, quibus tan-  
 tæ*

a D. Chr. hom. 36. in c. 16. Act.

tae veritatis, solatijque verbis declarat nobis desiderium, quod Deus habet, conuersionis nostrae, & salutis. Hoc desiderium, & haec voluntas eum de caelo traxit: hoc fecit, vt carnem nostram assumeret, de virgine nasceretur, conuersaretur in mundo, miracula patraret, hominibus tam se affabilem, & benignum praerberet, cum publicis peccatoribus tractaret, & comederet, quemadmodum ipse Dominus testatus est, dicens: *Venit Filius hominis in mundum, saluum facere, quod perierat.* Ad hanc tam ardentis amoris voluntatem, qua peccatores vocabat, declarandam, clamabat dicens: *a Siquis fuit, hoc est, si veram salutem desiderat, veniat ad me.* Non ei satis erat peccatores verbis mollibus, & submissis vocare, sed id etiam alta, magnaque voce faciebat, quod amplius intimum affectum, quo omnium conuersionem desiderabat, ostenderet. Et hoc etiam manifestum fecit tam altis, diuinoque

A a 4 fauo-

a Ioannis 7. 37.

fauore, ac solatio plenis promissis, quibus eos alliciebat, dicens: *Qui crediderit in me*, infundam in *ventrem* animæ eius *flumina aquæ viuæ* gratiæ, & donorum Spiritus Sancti eritque his gratiæ aquis ita plenus, & his cælestibus donis ita diues, vt ex intimis animæ ipsius foras in potentias, in sensus, in exteriora opera *fluxura*, omnemque rem bonam nobilitatura, sanctificatura, & æternâ vitâ dignam factura sint. Alter modus, quo Deus hanc voluntatem, & hoc suum conuersionis, salutisque nostræ desiderium declarat, est, tantâ cum patientiâ tolerare, ac sufferre peccatores, dum reipsâ offendunt eum, & tantâ cum longanimitate illos ad conuersionem expectare. Quòd Deus, cum sit infinitæ Maiestatis, ac potentiæ Dominus, & tanta, quæ ei per peccatum fit, iniuria, & peccator tam pœnâ dignus, non eum simulatque prima peccata committit, occidat, & condemnet, sed toleret, diuque expectet, multa eius peccata sufferat, ipsum

ipsum moueat, ac iuuet, vt se conuertat; tanta illius misericordia est, vt nequeat explicari; atque hæc summè manifestat immensum, quod habet, desiderium, vt peccator conuertatur, nec vllus pereat, sed omnes saluentur. *a* Propterea (inquit Isaias) *exspectat Dominus peccatores, vt eorum miseretur, parcens ipsis, & ideò, quia peccatoribus parcat, exaltabitur.* David vehementer desiderabat, ne Absalom filius suus in bello periret, nec moretur, quòd in malo statu esset; & hoc suum desiderium declarauit præcipiendo seruis suis, ac militibus, nequis illi malefaceret, identidem hanc vocem repetens: *b* *Seruate mihi puerum Absalom;* nec non summo cum dolore morti eius illacrimando, dicendoque: *Fili mi Absalom: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Sic Deus, tametsi eminentiore, taliq̃ Maiestate digno modo, facit. Summè desiderat, ne homo peccator, qui quoad naturã crea-

A a 5 tura

a Isa. 30. 18. b 2. Reg. 5. 5.

tura eius est, & quem amat, ac ratione quadam pro filio habet, pereat, nec æternùm moriatur, sed conuertatur, & uiuat. Atque hoc suum desiderium manifestat præcipiēdo vniuersis creaturis, ne illum, vti meretur, occidant: igni, ne ipsum comburat, aquæ, ne ipsum submergat, terræ, ne ipsum deglutiat; omnes enim creaturæ præ sunt ad vlciscendum peccatorem, si id Deus illis præciperet, ac quod eis id non præcipit, est, ipsis id quodammodò prohibere: & Dæmones præsertim reprimat, ijsque præcipit, ne illum dum in peccato mortali est, tam citò vitâ priuent, quàm ipsi vellent, facerentque, si hoc eis Deus permitteret. In quo declarat Deus summum, quod habet, conuersionis peccatoris desiderium. Idem in hoc quoque ostendit, quod non solùm desiderauit mori pro peccatore, sicut Dauid pro Absalom, sed re etiam ipsâ pro illo mortuus est, & quidem atrocissimâ, ignominiosissimâque morte Crucis, vt eum libera-

ret

ret à morte culpæ, & pœnæ, ipsique salutem, & vitam gratiæ, & gloriæ tribueret. Ingenste testimonium voluntatis est, quâ Deus desiderat, vt peccator conuertatur, & viuat, tolerare, expectareque eum tamdiu, & morti se pro ipso exposuisse. Non credebant quidam peccatores aduentum Christi ad iudicandum, videntes eum prolongari; quibus S. Petrus dicit: *a Non tardat Dominus implere promissionem suâ, quia eam tempore ab infinitâ suâ sapientiâ stabilito implet; & quæ vobis tarditas videtur, non tarditas est, sed ingens misericordia, quâ peccatores patientissimè tolerat, & expectat; nolens, quantum in ipso est, aliquos perdere, sed omnes saluari.* Manifestat quoque Deus hoc immensum desiderium conuersionis peccatoris in eo, quòd illi dedit facultatem naturalem liberi arbitrij, & supernaturalem donorum, fauorumque gratiæ, vt vnico momento conuerti possit, & eodem, quo con-

Aa 6 uer-

a 2. Pet. 3.9. /

uertitur, temporis puncto veniã do-  
netur à Deo, in eiusque gratiam reci-  
piatur. Ad negotium aliquod, in quo  
res temporalis parui momenti agatur,  
tractandũ cum terreno quopiam do-  
mino, vel iudice, oportet diu expecta-  
re, dum alloqui eum liceat, & post al-  
loquium, multos dies, mensesque ex-  
pectandum est, dum illud expediat:  
Sed ad tractandum cum Deo negotiũ  
salutis spiritualis, quod est omnium,  
quæ sunt, & esse possunt, grauißimum,  
ac summi momenti, cum consistat in  
obtinendã peccatorum, æternæque  
damnationis veniã, & in gratiã iusti-  
ficationis, ac regno cælorum conse-  
quendo; non est necesse per vllum  
temporis spaciũ expectare, sed quan-  
docunque Deum quæris, inuenis, quo-  
ties illi loqui vis, te audit, & quocun-  
que tempore ad eum conuerteris, te  
recipit, ac iustificat; neque propter  
quicquam horum te expectare facit,  
neque vllam moram trahit. *a In qua-*

*cuñ-*

*a Ezech. 33. 12.*

cunq̄ue die (inquit Ezechiel) & tantun-  
dem est in quacunq̄ue horâ, & in quo-  
cunq̄ue momento *imp̄ius conuersus fue-  
rit* ad Deum, hic ignoscet, & *impietas  
non nocebit ei*. O immensa Dei pietas!  
ô clarissima probatio incomparabilis  
desiderij, quod habet, conuersionis  
nostræ, quando concedit nobis, vt tan-  
tâ cum facilitate, velocitateq̄ue nego-  
cium veniæ nostrorum peccatorum, &  
salutis animarum nostrarum secum  
tractemus, & conficiamus, fecitq̄ue le-  
gem inuiolabilem, & infallibilem pro-  
missionem, vt quamdiu vitam habue-  
rimus, semper possimus ad ipsum con-  
uerti, & quotiescunq̄ue verè conuersi  
fuerimus, venia nobis detur, & iustifi-  
cemur. Hæc voluntas, ac desiderium  
Dei, natum ex infinitâ ipsius bonitate,  
& misericordiâ, mouere nos debet,  
non vt conuersionem, pœnitentiam-  
q̄ue differamus, siquidem permagna  
foret malitia, tantoperè Dei miseri-  
cordiâ abuti, essetq̄ue valdè crassus, &  
noxius error, cum iuxta ea, quæ iam

diximus, sicut pius est ad tolerandum, ita ad puniendum iustus sit, & sicut aliquamdiu peccatorem expectat, ita tempus taxârit, limitâritque, quo illum expectare vult, & finito hoc termino ab æterno eius consilio præfixo non ampliùs ipsum expectat: sed monere nos hoc pijsimum Dei desiderium debet, vt statim conuertamur, quò impleamus hoc eius desiderium, & hac eum voluptate afficiamus. Magni homo æstimat, voluntati, desiderioque amici alicuius satisfacere, præsertim si hic vir potens sit, à quo possit multum vel damni, vel vtilitatis accipere, & ad morem huiusmodi potentibus personis gerendum erogant homines facultates suas, seque ingentibus laboribus, ac periculis exponunt. Quantò ergo iustius, rationabiliusque est, vt poenitentiam quamprimùm nullâque morâ interpositâ, agentes, satisfaciamus voluntati, ac desiderio Dei, in cuius manibus est vita, & mors, cælum, & infernus, saluare nos, & condemnare. Cum  
ma-

magn  
mag  
capit  
uerfi  
est, e  
impl  
expli  
volu  
igitu  
cemi  
ipsu  
mure  
Deu  
Hoc  
Eccl  
ru in  
sti, a  
Deo  
in oc  
stare  
virt  
nam  
a  
b

magnum aliquod desiderium impletur, magnam homo lætitiã & voluptatẽ, capit; & quoniã Deus peccatoris conversionẽ tantoperẽ desiderat, certum est, eum, quando hoc desiderium ipsi impletur, modo possibili, sicut alibi explicauimus, ingentem inde lætitiã, voluptatemque percipere. *a* Demus igitur Deo hanc voluptatem, gratificemur hoc ei, vt verã pœnitentiã ad ipsum conuertamur; gaudeamus, fruamurque; tanto bono, quantum est, quòd Deus ignoscit nobis, ac nos iustificat. Hoc est Spiritus Sancti monitum per Ecclesiasticum dicentis: *b* *Ne manseris in operibus peccatorum; sed si peccasti, age citò pœnitentiam, & confide in Deo, quod ignoscet tibi: Facile est enim in oculis omnipotentis Dei, subito honestare pauperem peccatorem, dando ei virtutes, donaque gratiã, quibus æternam vitam consequatur.*

*a* *De imit. p. 1. tr. 5. c. 64. p. 2. tr. 4. c. 70*

*b* *Ecclie, 11. 22.*

*De*